



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XXVI. Legislatio Dec. adorat. vituli aur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

cha ara parata sacrificia, beneficij memoria dicata; Amalecitarum omnis posteritas, decretò Numinis, diris & cædibus devota. Usque adeò severa vindicta incumbit illis, qui in eos, quos DEUS in oculis habet, crudelitatem exercent, quemadmodum Amalecitàe Hebrææ genti innoxium transitum petenti ferrum & furorem obiecerunt.

NARRATIO. XXVI.
 LEGISLATIO DECA-
 LOGI. ADORATIO VITULI-
 AUREI ULTRICES GULOSORUM POE-
 NÆ; ET MARIÆ, SORORIS MOSIS.

Exodi. 19. 20. 24. 32. 24. Numer. 11. 12. 20. An.
 M. 25.44. & 2545. 2575. Ante Ch. 1507.
 1508. & 1478.

Motis ex Horebo castris, ad montem ubi Sinam confederunt Hebræi, Moses interpres & internuntius inter DEUM & populum, ascendit in jugum, accipitque responsa Numinis, quibus gens Israëlitica in peculiarem favorem deligitur, & adoptatur, magnis adjunctis promissis, si vicissim obsequia, fidemque spondeat. Quod omnium mox consensu, verbis magis præstitum, quam factis. Sub hæc constituti per circuitum montis termini, ultra quos, pœnâ mortis propositâ, non progredi, consistere liceret. Fortè mirabitur quispiam, suam à DEO legem, inter tonitrua terroresque promulgatam. Verùm uti necesse est,

H 2 amor

amor leges mitiget, ita pariter firmari debent timore. nunquam ad mandata attentiores sunt mortales, quàm cum calamitatum fulmina in eos ruunt, cum grandine diversarum cladum insternuntur; tum arrectis adstant auribus, seque omnia facturos, amplissimè pollicentur. Tertia post die cœperunt magno fragore sonare tonitrua, micare fulgura clangere buccinæ, in modum lampadum coruscantibus, mons contremiscere totus & fumare; in cuius vertice Angelus, DEI legatum agens, ignis splendore circumdatus, omnibus ad terrorem concurrentibus (nam ad contumaciam gentis in officio continendam, erat Numinis reverentia, metu incutienda) Mosén ad se evocat & Aaronem, vocatque terribili leges Decalogi promulgat; quas deinde Mosi seorsim accersito, post quadragintadiale ieiunium tradidit, geminis tabulis lapideis comprehensas, cœlesti scriptas manu. Quo tempore Vates multa cœli arcana didicit, Ritus, Sacrificia, Leges judicarias, constructionem Arceæ fœderis seu testamenti, in hanc quoniam duæ Legis tabulæ continebantur, ideò summa ejus religio & veneratio omnium mentibus insita. Erat ea cista quadrangula, longa duos cubitos cum dimidio, sesqui-cubitum alta, ex ligno Sétino (quod nescit cariem) aurò obtectò. Eam operiebat tabula, seu operculum aureum; quod *Propitiatorium* vocabatur, insistebant duo juvenes alati, Angelorum specie, partim alis partim corpore tabulam tegentes; *Cherubini* in sacris litteris appellantur. Accepit quoque ideam Tabernaculi seu Tentorij Castrensis, tribus parietibus tabulato ligneo constantis, duobus longioribus

triginta cubitorum singulis; unô versûs Austrum, alterô versûs Aquilonem; tertiô brevior, decem cubitorum; qui ab occasu prædictos duos longiores clauderet, parte Orientali apertâ relictâ. Hoc septum quaternis velis operiri jussum, scilicet primo byssino pretiosiore, *alio* cilicino, *tertio*, de pellibus arietinis, *postremo* de pellibus hyacinthinis (tassorum, ut in Hebræo habetur.) Apellatur verò sacris in Litteris Tabernaculum hoc, sanctuarium, quòd esset Arca fœderis in eo reposita, & Divina Majestas ibi tanquam in oraculo responsa consulentibus dando, præsentem se, & Præsidentem, Tutorémque populi sui præberet, certis solennibusque diebus, ad preces, sacrificia, laudesque DEI celebrandas, ejusque legem audiendam, eò convenientis. Præter structuram Arcæ & tabernaculi, Mosi in eo secessu descriptum, designatúmque, quidquid ad universum sacrorum apparatus pertineret.

Quis non crederet, eò quadraginta dierum intervallò, quo religiosissimus Hebræorum Ductor, DEI consuetudine in *Sinaeo* jugo utebatur, populum ad radicem montis, latè tendentem, pari religione, datam cœlo fidem culturam fuisse? Alia omnia. Ducis absentia vertitur in occasionem sceleris, & nefandæ superstitionis licentiam. Nihil jam memoria gratiarum, largè cælesti sinu fluentium: nihil fæderis cum DEO initi, pactique sacrosancti ratio valet; itur in sacrilegum nefas ab omni multitudine, solis exceptis Levitis, neque cunctis tamen; & si qui alij impietati restiterunt viri boni. Aaron Mosi frater, & imperij consors, religiosi cæteroquin in DEUM animi princeps, sed æquò timidioris, importunis

Juxtà & nefarijs postulationibus adigi se patitur (cunctabundus tamen, credibile est enim, spem habuisse discutiendi scelesti consilij, tum sui procrastinatione consensûs, tum maturato fratris è monte descensu) ut ex pretiosis aurium ornamentis certatim oblatis, vel vitulum integrum, vel caput certè vitulinum ex auro conflari permetteret. Itaque fabricatur idolum, ad exemplar simularcri Ægyptij, quod bovinâ fictum formâ, *Apidis, Serapidis, Osiridis* nomine ei genti colitur; urgente celeritatem operis & adjuvante malo dæmone. Nec mora; erigitur detestabile signum, tenduntur manus bubulo capiti, curvantur genua, ponitur ara (non jam consentiente tantùm, sed manum etiam admovente Aarone) adolentur thura, mactantur victimæ tanquam libertatis vindici & assertori DEO. O portentosa dementia! ô nefanda scelestissimorum mortalium vecordia! Ab impio sacrificio fit gradus ad cetera flagitia, ad lascivas epulas, choreas, cantus; estur, potatur, luditur; omnia sacrilegis vocibus perfonant; Novus DEUS, summorum & infimorum gratulatione consalutatur.

Exarsit justissimus DEI furor, non nisi gentis perfidæ excidiô restinguendus; obicem ruenti vindictæ opponit supplex Moses. suo pro aliena salute, capite dovotô. Exin de monte descendit, geminas Decalogi tabulas manu gestans, comitante Josua; qui percepto populi vociferantis tumultu, non est, inquit, hic clamor pugnam poscentium, sed tripudia agitantium; id propior jam factus, cum suis ipsè oculis auribusque Moses hausisset, in detestationem execrandi facinoris, lapideas, quas à DEO acceperat

rat tabulas, allidit ad saxum, & confringit; simul
 reputans cœlesti munere nefandos idololatrias; si-
 mul atrocitatem injuriæ, divinæ majestati, illatæ
 contestans. Mox accedens ad vitulum aureum,
 dissolvit igne metallum, redactam inde massam re-
 digit in pulverem; hunc spargit in aquas, jugi mi-
 raculo è petra *Horeba* dimanantes; cumque alius la-
 tex in potum non suppeteret, coguntur vel inviti
 suum simul scelus, & sceleris pœnam bibere. Inno-
 xia fuit, criminis exortibus lymphæ; maleficis infla-
 vit corpora, & languida tabe necem attulit. Nec
 stetit hic supplicium, Moses acerrimus honoris divi-
 ni vindex stans, in ingressu castrorum, si quis, inquit,
 Domini est, jungatur mihi; palam faciet hæc dies,
 quò quisque loco habeat vel ignominiam DEI, vel
 gloriam. Aliquorum sanguine omnium redima-
 tur exitium. Agite, si viri estis, manum mecum &
 ferrum in piaculum tanti sceleris stringite. Accen-
 dit ea vox, vel Numinis potiùs inspiratio, Levitas;
 densi conglobantur; & gladijs, ut erant jussi, ar-
 mati, facto per media castra transitu, obvios quos-
 que, aurium elenchis destitutos (hoc enim idolola-
 trix signum erat) sine discrimine trucidant, cæde
 tanto expeditiore, quanto timidiùs, improvisiusque
 in ferrum incurrebant, epulis, ludis, choreis mar-
 centes. Occubuerunt ea strage non minùs viginti
 tria millia. Ita decuit expiari vitulum, quem im-
 pietas sacrilega excogitavit, timiditas ignava procu-
 dit, temulentia divinis honoribus affecit, Zelus glo-
 riæ Numinis in pulverem dissipavit.

Territis ea occisione vecordium pectoribus; redit
 Moses in montem, Actorem simul & reum pro per-
 vi-

vicaci populo acturus ; denuoque placato per preces & longa jejunia Numine ; novas curat conficere tabulas ; quas in montem relatas , iterumque Decalogo , caelesti digito inscriptas , sancitis denuo DEUM inter & populum foederibus , reportat in castra , reperitque novo supplicio consternatos , quos enim ex idoli cultoribus gladius ultor non absumpsit , vindex Numinis ira de medio sustulit , occulta quadam peste afflatos .

Iterum ad spem erecti animi , deprecatore Mose , iterum obsequia DEO jurata , & Ductori populi ; cui majorem etiam apud omnes venerationem conciliavit facies , à divina colloquutione fulgurans , & radios , quasi duo cornua ab extrema fronte utrinque emittens ; cum ecce , castris tertiis à monte Sina promotis , tedium prolixi itineris novas turbas concitat . Mittuntur iterum , (ô linguam inferis ignibus torrendam !) atroces in caelum voces , tanquam ductrice columna produceret æquò longius , profectiois spatia , cum unius anni veterofa quies indulta fuisset ad *Horebum* & *Sinam* confidentibus . Quid iterum DEUS ? erumpit ignis sive ex alto , sive profundo , invaditque extremam castrorum partem , quique ex omni tribu ignavi cessatores restitarent , absumit . Grassantis incendij furorem iteratae Mosis preces stiterunt ; locus à deflagratione nomen obtinuit *Incessio* .

Et verò , quis animum inducat , sibi que persuadeat , nisi divinæ pro testimonio paginae loquerentur , neque his flammis incaluisse obstinata pectora . Ultrices nondum satis erant ignes extincti , cum ad nova obrectationum arma venit . Fastiditur

ma-

manna cœlo delapsū ; esuriuntur carnes, pisces,
 alia Memphitica ; neque sine seditione deposcun-
 tur. Irritatus toties DEUS, ministeriō venti, im-
 mensam conturnicum copiam latè per castra effun-
 dit ; quæ volatu fatigatæ, fractæque, nullo nego-
 tio convertebantur magis, quàm colligebantur in
 cumulum. E vestigio gulam secuta est pœna, dum
 ingluvies saginatur pennatâ prædâ, mors cum cibo
 deglutitur, multis mortalium millibus per id, quō
 vitam gulosiùs conservatam volebant, è vita extur-
 batis ; ubi epulum, ibi tumulum habuerunt ; quem
 ne ignorarent posterī, epitaphium Sacer historicus
 addidit : Sepulchra Concupiscentiæ. Populi in
 Mosen obtreçtationes & pœnas exceptit oblocutio ac
 supplicium *Mariae* sororis ; quæ ortō inter ipsam, &
Sephoram, uxorem Mosis, Madianitidem, jurgiō ; (ob
 honoris, ut credibile est, prærogativam) dum al-
 tera uxoriō se titulō, altera sororiō præfert ; cœpit
 Maria obterere laudes fraternas, ejusque culpæ par-
 te aliqua Aaronem quoque, alterum fratrem, asper-
 gere. DEUS simul famuli sui dignitatem assertu-
 rus : simul improbitatem linguæ castigaturus, re-
 pentè fœdissimâ leprâ feminam inficit, & ab homi-
 num consortio excludit. Elatiores spiritus repres-
 sit morbus & ignominia ; gravia mala ei sexui ;
 quæ ne ultra septiduum adhærerent obmurmura-
 trici, preces Mosis, hominum mitissimi effecere.
 Modestius illa deinceps de se sentire docta, multis
 virtutibus ornata, extremum diem obiit *Cadibus*, in
 Idumææ finibus ; ætatis anno centesimo, primo ;
 publico luctu, sumptuque elata. Aaronis, quia le-
 vius in ea re delictum, ideò mitior etiam pœna
 fuit ;

fuit; Sola DEUS reprehensione in eum animad-
vertit.

NARRATIO XXVII.
EXPLORATIO CHA-
NANITIDIS ET PUNI-
TIO IMBELLIIUM.

Num. 13. 14. Anno Mundi 2545. Antè
Ch. 1508.

D Emersis Arabico sinu, cum ipso Pharaone,
turmis Cohortibusque Pharaonis; Moses,
& præ Mose, Ductor Angelus, qui popu-
lum, omni sine clade transportarat, ingentem sibi
apud Israëlitas fidem, auctoritatè que compara-
verunt. Unde factum est, ut, quocumque deinceps
locorum, ac regionum traherentur, secuturos se
promptis animis, ac pedibus præ se ferrent. Sed
ut mobile plerisque mortalium esse solet ingenium;
longè verò mobilissimum Hebrææ nationi, promp-
titudinis illius ac obsequij constantiam non tenuere
diuturnam; multò minùs perpetuam. Mutavit eo-
rum mentes mutata loci facies, ab Ægyptiæ terræ
cultæ forma plurimùm abludens. Ducebantur (&
hoc, per annos quadraginta) squalidissimis Ara-
biæ Petrææ solitudinibus; præcipuè que Desertò
Pharanicò, cujus longitudo, latitudoque vel ipsi
Germaniæ, regionum Europæ spatiosissimæ, certare
queat. Causa tam longæ circumductionis erat im-
bel-